

bardæ, intestinorum, nubis, & quando efflatur per aquam, per arundinem vel aliam angustiam, sonus, & quidem varius, editur.

XIV. Hæ & similes, in explicandis hujus meteorum operationibus, rationes physicae, quamvis suo stentalo, non temerè tamen est negandum, cacodæmonem (cujus astutia & machinamenta ad seducendos homines proh dolor! notissima sunt) illis ad hominum deceptionem, damnum & internecionem abuti, imprimis si Deus ipsi habenas aliquantisper laxet: Ipse enim & comitem se itineris præbere & voces ad terrorem & dolum fingere, apprimè compositus est. Atq; hæc de igne fatuo dicta sunt.

XV. Subsequuntur alia meteora quæ sequentibus insigniuntur nominibus, *Helena Pollux & Castor*. Hæc quamvis easdem, fermè cum priori causas agnoscant, ac loci potissimum ratione (quod ille ignis in terris, hi in mari plerumq; apparent) ab eodem distinguantur, unde etiam pro iisdem à nonnullis habentur; placet tamen in specie quædam de illis annotare, imprimis cum nomina hujus meteorum ignota esse possint, & Helena aliquanto aliter se habere videatur, quod vix melius fieri poterit quam si historia, vel fabula potius, consulatur.

XVI. Castor & Pollux dicuntur aliàs Διόσκυροι vel Διόσκοροι, quasi διός id est, Jovis, & κόροι filij: Creditum enim est antiquitùs, Jovem captū desiderio Ledaë Tyn-dari regis in cygnum se convertisse, illamq; compressisse, cantu suavissimo deceptam, compressa ovum peperisse dicitur, è quo Castor, Pollux & Helena nati sunt. Natos mercurius Pelenen nutriendi causa deportavit. Nutriti, educati Castor & Pollux militiæ dederunt operam; Cum enim Jason, aureo vellere poti-